

RESERVADO

4923

B. N. L.

Res
4923

2664

Karlska - Tomo I - pg 51 - (diag. Rediquus tateam)

Karlska Prof. Tomo I - pg 56 -

M/ Lusceio - Tomo II - pg 178 -


n: n: 170 (Aratio) - & Catalogo de Martinho de Simoes.

Care = & ilandomen
L. de S 45, n: 3664

111.110 - 93.
I A C O B I

R O D E R I C I
F A L C O N I I
O R A T I O .

I N S E R E N I S S I M I
S E B A S T I A N I P O R T V G A L L I Æ
R E G I S F V N E R E
A D S . D . N . D .
G R E G O R I V M . X I I I .
P O N T . M A X .



C V M F A C V L T A T E E T A P P R O -
batione Reuerendissimorum Patrum supre-
mo Sanctæ Inquisitionis Consilio
Præsectorum.

Olyssipone, excudebat Antonius Riberius.
M . D . L X X I X .



Res
4923

COMPRA
270843

¶ Licença & approbação.



E mandato supremi sancte ac genera-
lis Inquisitionis Consilij, diligenter
examinaui orationem hanc Iacobi
Roderici Falconij, viri omnibus bonis
artibus, & literis præditi, in serenissi-
mi Sebastiani Portugalliæ Regis funere: & censeo ni-
hil continere, quod vel fidei orthodoxæ, aut religio-
nis nostræ Christianæ bonis moribus aduersetur, &
ob id non immerito typis posse mandari, xj. die Maij
Anno salutis humanæ. M. D. LXXIX.

Frater Bartholomæus
Ferreira.

¶ Pode-se imprimir vista a informação, & depois de
impresso torne o original com hum dos nouamente
impressos a esta-mesa, antes de correr, pera se confe-
rir. Em Lixboa a doze dias de Mayo, Manuel Antu-
nez o fez, de mil & quinhentos & setenta & noue.

Antonio Tellez.

Jorge Sarrão.

ORATIO:



Repto nobis Sebastiano Rege
omnium post hominū memo-
riā fortissimo Christi Athletā,
cuius vnus virtute & armis
per Orientē Christianę religio-
nis nomē propagabatur & Bar-
barorū impetus, ne in nos ir-
ruerent cōhibebantur, meritō

nō modo omnes, qui publica funebriq; pōmpa & lugu-
bri hoc honore eius exequias celebramus, sed & ipsa
emortua testa & mœstus hic apparatus flere quodāmo-
do mihi & lamentari videntur. Tu Pater Beatissime
qui illum antea in eo orbis confinio tanquā in cō-
muni quadam arce ad propulsandam Barbarorum
audaciam ex ista edita specula non modo diuino cōsi-
lio constitutum vidisti, sed in ipso iuuentutis flore pro
Christiana religione defendenda & amplificanda in
media acie fortissime diuinitatem multis acceptis vul-
neribus occubuisse audisti; in tāto omnium squallore
& luctu, in tanta nobilissimi omnium regni clade quā
topere dolere nos omnes oporteat, multis ac maxime
perspicuis documētis hodierna die declarasti. Nam si
maiori cū animi dolore atq; acerbiori recordatione eo-
rū obit^o deploram^o quorū maxima in nos officia cōstāt

nemoq; est aut veteri aut recenti memoria Regū qui
vel bellis atrocioribus vel à patria remioribus pro
Christi fide pugnauerit, imanis hominis esset in tãti
regis inorre non gemitū edere, non intime cōmoueri
animo & sensibus infixū dolorē noua aliqua significa-
tionē declarare. Plane nullum poterat turbulētissimis
hisce tēporibus infligi Christianæ Reipublicæ vulnus
quod aut grauiori discrimine plura inuictur pericula,
aut maiori iactura plus detrimēti afferat, quod vix tan-
dem multorum annorum spatio possit reparari. Ami-
simus fortissimos duces qui paulo antea penetratis vl-
timis Oceani recessibus Christi gloriam eiusq; numē
ac nomen ad illas barbaras nationes impio falsorū deo-
rum cultui dicaras extenderunt, protulerunt, propaga-
runt. FLEMUS vobis ereptum Regem omni animi ma-
gnitudine præditum, omni regia virtute excultū, qui
cum in ortu Patriæ ob mortem eius patris optimi atq;
humanissimi Principis perdiræ atq; afflictæ magnum
solatium attulisset, statimq; in illo pueritiæ ingressu
præclara quædam signa pudoris & honestatis cum re-
giæ vere mētis significatione declarasset, didiscissetq;
Regem, quē omnes suspiciūt, in quem velut in specu-
lum intuentes homines sese fingunt, si fuerit corruptis
moribus, necesse esse, vt inde vitia deriuentur, totūq;
regnum exēplo suæ nequitia de statu suo cōuellatur,
adeò

adeò se in omni animi magnitudine & modestia exercuit, adeo præceptoribus quos in omni virtutum genere excellentes asciuit se docilè præbuit vt cum lacte nutricis regiae virtutis disciplinam hauissè videretur. Iam vero quatuordecim annos natus, quos sanctissimorū virorū consuetudine transegerat, cum iam tū sciret eorum qui imperant præcipuū officiū esse non solū cōmodis patriæ consulere, & hostium audaciā magna animi contétione reprimere, sed multo magis iniuriæ & iniquitatis vulnera sanare, motus omnes cōprimere, & hostes in suā potestaté redactos sapiétia quæ rerū omnium est moderatrix, in officio cōtinere, in vtraq; laude ita euituit, vt & sæpe potētissimos Asiæ reges in Lusitanorū hoc est Christianorū nomen cōspirantes represserit & patriā munierit legibus optimis atq; institutis nihil habēs antiquius quàm vt qui ab illo regebatur, quiq; in sua ditione erant mortales beatissime viuerét. & quoniā intelligebat se iustè ac legitimè Reipublicæ præesse non posse nisi se totū ad imitationē illius summi rerū omnium conditoris cōferret, imitari vero non posse, nisi sæpenumero de illius æquitate & amplitudine cogitaret, & ordinē quo cœlum æterno imperio gubernat assidue inspiceret, in intimo sacrario inclusus ex diuino illo fonte normā bene administradę Reipublicæ singulari quodā studio hauriebat. Incredibile

dictu est quàm sæpe ille excellēti animi cultu Deū prosequens illius in se beneficia collata frequēti prædicatione celebrarit, & diuinarum rerū contēplatione imbutus & effulgentis cuiusdam pulchritudinis specie & admirabili venustate atq; elegātia illustratus ex illius naturæ immensitate abstrusa quædam atq; abdita in lucem euocauerit: quam sæpe seueris supplicijs exitio sam illam animorū pestem vel compresserit vel erūpētibus vitijs sacri Cōcilij Tridētini sanctionibus ad cōmunem salutē cōsentiētibus, quanuis longiori terrarum spatio quàm reliqui reges ab Italia seiūctus, primus tamē omniū & strenue semper occurrerit: quàm sæpe sacras ades venerabundus adierit, & vetustæ religionis conseruandæ studio ad arcanas illas res tractandas admitti voluerit, vnde manat cum Christi gloria Prouinciarū salus, qua neglecta, quæ nobis emergant incōmoda, pleræq; prouincię falsis opinionibus vacillātes, & inusitato more tumultuantes abunde antea do cuerūt. Mihi P. B. Christianorū Principum & Imperatorum pietatis & religionis monimēta repetēti, & oīa quæ pro religione fecerūt in vnum locū conferēti, nullus ferè ex omni memoria esse videtur, qui cū illi^o vel pietate & innocētia, vel gloria illustribus meritis parta omnino possit cōferri. Si enī eū demū se totū ad studiū diuinę legis applicuisse dicim⁹, qui Deū pure atq; sãcte

vene

veneratur, si nihil aliud cōtinet religio quàm animū
nostrū cum optimo illo parēte cōiunctū & studio diui-
næ legis obseruandæ & propagādæ inflāmatum, si ad
diuinitatē illius supremi numinis maximè accedit illi⁹
anim⁹ qui mortali inclusus corpore ab omni corporea
rū voluptatū sensu abstractus purissimā illam naturā
imitatur; in quo tandem splendere magis potuit reli-
gionis & honestatis elegancia quàm in eo, qui magno
& elato animo, ad summā nominis claritatē & sempi-
ternū decus aspirauit? qui oēs sui regni vires & opes ad
oppugnandos nostræ fidei hostes, & ad Barbaras natio-
nes gētesq; indomitas debellādas summa cū animi cō-
tentione adhibuit, qui multas ædes sacras & Basilicas
Deo dicatas, magnificis muneribus exornauit, religio-
forum hominū ordines prouentibus auxit, augustissi-
mā & religiosissimā tēpla extra sui regni fines posita;
non solū peregre visitauit, sed pretiosis omnis generis
argēteis aureisq; donarijs, & opimis agrorū redditib⁹
regia munificētia locupletauit, quiq; vel in eo pluri-
mos omniū seculorū Prīcipes superauit, quòd hāc ipsā
religionē nulla facta integritatis labe cōstātissime sem-
per seruauerit. Et quid enī difficult⁹ esse potest quā regē
adolescētē in illo fastigio maiorū suorū sedentē, vbi fa-
cile licet quod libet, oībus reb⁹ affluētē, multis vndiq;

voluptatib⁹ obsessum & oppugnatū, virginitatis tamē
firmatū præsidio nō modo nō capi aut expugnari, sed
vix etiā cōmoueri? Et quid quæso aliud est tot tātisq;
cupiditatibus complicatū extincto naturalium ardore
voluptatū castū & virginem esse, quam per spinas ince-
dentē non pungi? in medijs flāmis positum nō ardere?
in sordibus quodāmodo versantem nō inquinari? per
confertissimos mucrones penetrātem non sauciari? &
turbulentissimis tēpestatibus sæpe vexatū & cōfliktatū
plerisq; pereuntibus nunquā naufragiū facere? O sin-
gularē animi pulchritudinem specie quidem illustrē,
amplitudine vero admirabilem, ô temperātiā & ho-
nestatē diuinitus in ipso rege exortā, cuius memoria
non nisi cum ipso rerarum orbe est interitura. Quid
hīc historiæ loquentur? Quod simile afferēt exēplum?
Utinā æquare hanc laudē multi possint, nā antecellere
nemini vnquā licebit. Iustitiā vero, quæ ex celo orta
à principio reges creauit & ad summā amplitudinem
decoris & dignitatis euexit, & in quam quasi metā om-
nes conatus, studia, actiones eorū qui Rempubicā ad-
ministrant conferēda sunt, iam inde ab adolescētia tā
studiose cōstanterq; retinuit, vt ne tranuersum quidē
vnguē à legum diuinarū atq; humanarū æquitate
vllō vnquā tempore declinauerit. Digna quidē vox est
& maiestate regnātis, aiunt Theodosius & Valētinian⁹

Imperatores legibus alligatum se Principem profiteri sed seipsum Regē ita instituerē, vt velut optima norma, suis moribus alienam vitam metiatur, ita dignitatis elegantiam animi moderatione continere vt nō tam iudiciorū seueritate quā suo exēplo ciuium licētiam cohibeat, hoc tam diuini muneris est, vt neque ad fructū quicquā vtilius, neq; ad gloriā illustrius neq; ad statum Reipublicæ conseruādæ securius esse possit. Quas ille partes prætermisit vnquā, aut potius quas non absoluit, vt vniciq; dignitatē suam tribueret, & vt quisq; reliquos virtute antecelleret, ita ab eo maximis præmijs augetur? quas ille leges non excogitauit vt seuera viuendi norma ciuiū vita firmior & emēdator euaderet? Ipse disceptator & iudex in maximis & difficillimis causis auctoritatē suam interponebat. Ipse sæpe summo studio quā recte fierent iudicia explorabat. Ipse cuiusq; hebdomadis certo die, qui Regū Lusitanorū antiquissimus mos fuit, forū iudiciale adibat, cū summa iustitia summā æquitatē coniungebat, & in delictis non apertissimis ad misericordiam quā ad seueritatē propērior, & ignoscere potius quam animaduertēre paratus erat. Atq; hanc animi æquitatē in his potissimum esse volebat quorū fide & in legibus custodiēdis, & in iure dicēdo, & totius regni administratione vtebatur. Neq; in quenquā acrius animad

uertēdū putabat, quā in eos qui in hoc iudiciorū mū-
nere obeūdo vel timore prapediti, vel munerib⁹ excæ-
cati, ab æquitate ad iniuriā traducuntur. Et quoniā vix
aliud est quod maiorē maculā dedecoris inurat regib⁹
quā improborū familiaritas, cu corū cōsuetudo magno
cū Reipub. dāno bonos sæpe Principes inficere soleat,
nō alibi quā in corū delectu quos sua cōsuetudine dig-
naretur, maiori diligētia laborabat, neq; quēquam in
suā familiaritatē asciuit, quē non antea aut optimis stu-
dijs, aut nobiliorū etiā artū cognitione insignē depre-
hēdisset, nihilq; apud eū magis vnquā valuit quā an-
mi excellētis altitudo, quā admirabilis toti⁹ decoris &
honestatis elegātia. Atq; vt ceterarū virtutū perspicua
& illustria documēta prætermittā, quę in tota eius vita
inuitati exēpli cōspiciebantur, & orationi meæ modū
imponā ea tantū persequēs, quibus Respublicæ nō solū
cōtineri, sed etiā florere solent. Illa quæ propria Regū
est militaris disciplina, tanta in Sebastiano fuit, vt nō
modo cū quouis veterū regū, vel habiliū ad arma ar-
tuū, firmitate, vel impauidi semper animi vigore, vel
expedita ad conferendum manu sit adæquandus, sed
publico iudicio artuorum fulgore hostibus formida-
bilis cēferetur. Neq; eam ad inferēdū Christianis Prin-
cipibus bellū, sed ad Reipublicæ dignitatē conseruādā
& Iesu Christi gloriā amplificandā sūma cū cōtētionē

adhibuit. Quingenti anni sunt P. B. cum Alphonsus Regū nostrorū primus, in eo bello in quo illi Christus cruci affixus sese ostēdit, profligatis vno prælio quinque; maximis regibus, vniuersam eā regionē subiecit quæ nunc vulgari nomine Portugallia appellatur. et cū res tātas gessisset, quātas neque numero neque magnitudine vllus vnquā aggredi ausus est, suæ mortalitatis memor, amplissimis à se templis edificatis & redditibus locupletatis, nō solum seueriori viuēdi norma reliquum vitæ Deo dicauit, sed quibus vestigijs gradiendū posteris suis esset, si eiusdē laudis participes esse vellet, pio exēplo declarauit. Cuius deinde virtutis hæredes reliqui Lusitaniæ Reges, quos singulos recensere esset modū orationis præterire, nihilo minori religionis studio incensi, quā animi magnitudine præditi res illas deinde omnū opinione maiores inceperūt & perfecērūt, quæ per totum orbē sparsæ, omnibus gētib⁹ admirationē illis eternā gloriā pepererūt. Qui non cōtenti vindicatū Regnū ab impia Sarracenorū tyrānide Africæ parte auxisse; cū pro sua animi magnitudine maiora animo cōcepissēt & certis cōmississent hominibus vt pertinaci spiritu nullis vnquā ante seculis reperta litora explorarēt, nō pri⁹ id imperare destiterūt, quā rapidissimis Aquilonib⁹ vltra circulū Antarcti cum, ac paulo post vltra Cambaiæ & Narsingæ regna

præteruecti, tot potētissimis Regibus & populis lacef-
sitis prius & superatis, cum Lusitano nomine Christi
fidem fundatam & propagatam reliquerunt. Effet hic
locus idoneus cōmemorandi quæ nostris hominibus
adapertis Indicę navigationis opulētissimis emporijs
importata sunt cōmoda, quam larga subsidia, quàm
multa cōpendia, quāta rebus antiquis addita incremē-
ta, quāta æternis literarum moniniētis admiratio de-
tracta. Quæ ego libenter præteribo cum neq; omnia
persequēda sint, & mihi ostendisse sit satis, vt genero-
farum stirpiū in feraci solo sparsa semina facile surgūt,
ita Sebastianū Regē ab his maioribus ortum, simul cū
vita & sanguine eandē pietatem & religionē hausisse,
& quorū imperij hæreditatē adeptus erat, eorū quoq;
gloriam tot illustribus meritis partā ijsdem artibus af-
sequi semper studuisse. Ad quas enī vel remotissimas
nationes non peruenit quæ ille religionis Christianæ
propagandæ studio inflāmatu & inuictō animi robo-
re confirmatus pœne puer aduersus impias Africæ cō-
tuniacis gentes bella crudelissima exercuit? aut quas
neglectis vastis Oceani fluctibus victorias ex India &
triūphos reportauit! Tāta est ab eo rerum gestarū ma-
gnitudo, tāta victoriarū copia, vt quocūq; anim⁹ meus
se vertit, quo memoria recurrit, quò oculi incidūt oīa

de eo

de eo non solū præclara sed admirabilia etiam sese offe-
rant. Ille Iapani oram longissimè latissimèq; patentē
& ab hoc orbe nostro longissimo terre marisq; spatijs
disiunctam ac nulli veterum ne de nomine quidē no-
tam; feram, immanem, incultam, sine more, sine lege
Imperio suo adiecit, & Christianæ & ciuilis discipline
fran̄is cohibuit. Ille Goam Lusitanorū in India Metro-
polim quinq; ac triginta equitū & sexaginta peditum
millibus circūfessam & oppugnatam, nō solū missis
fidelissimis auxilijs defēdit, sed hostes desperata victo-
ria ingenti clade afflictos è diuturna obsidione submo-
uit. Ille periculosis ambigui Martis prælijs quāpluri-
mos Reges subactos munera offerre coegit, munitissi-
mas Vrbes cepit, omni bellico apparatu instructissi-
mas classes depresit, & vt vno verbo cōplectar, quæ
vel meminisse difficilimū esset, ille ad imperiū Reipu-
blicæ Christianæ vindicandū omniū Christianorum
Principū animos admirabili quadā virtute in posterū
excitauit. Harum virtutū fama quæ vbiq; terrarū va-
gabatur cōmotus Muleamethes quem paulo antea
Turcarum adiutus auxilijs Moluccus patruus infatia-
bili dominandi cupiditate, & summo scelere Mauroco
& Fessano regnis spoliauerat; in Lusitaniā venit, & ad
Regē pergit, à quo etiam atq; etiā petit, vt se adiuuet,
iustissimāq; causā tueatur, fore se si illius armis eiecto

Molucco

Molucco, in amissum regnū restituitur, redactis in nostrā potestate maritimis arcibus, quibus latissimi adjacent cāpi, frumēto, olea, viteq; vberrimi, nostrisq; hominibus commodissimi, perpetuo fœdere & tributo adstrictū: offerri sibi eā occasionē, qua vel ad sui nominis gloriam, vel ad certissimā tutissimāq; victoriam nulla accommodatior esse poterat. Nam in Mauris neq; fidei religionē esse, neq; vllū in Molucū amorē: oēs acerbō animo illius imperiū ferrē potētiores quod Turcis, quorū fauore & armis duo illa regna inuasērāt semp hostibus infestissimis parere cogebātur, humiliores quod iniurijs perpetuò lacefsiti & exacerbati esēt; se paterno regno exutum ab omnibus sollicitari vt eiccto scelerato & supra modum dominationis appetēte homini, paterna regna recuperet, nō defuturā sibi si armata manu & nostris adiutus auxilijs regnū repetere cœperit, infinitā Arabū & Maurorum multitudinē & gentē Turcarū tyrānide pœne oppressā libenter vndiq; cōuēturam. Itaq; omnia in eo statu esse, quæ Sebastianus rex exoptare possēt, quæue sine magna iactura negligēda omnino nō esēt, cū præsertim Moluccus Turcarū armis subnixus & ambitione atq; multa possidēdi libidine stimulatus, ad ea propugnacula quibus in Africa Lusitāni potiūtur oculos etiā adiecisset, vt illis ex ea deturbatis trajiciendi in Hispaniam facultatē & occa
sionem

tionē arripere. Experiri Lusitanos cū maximo detri-
mēto postquam Turcis patefactus est aditus frequētes
incurſiones quæ interceptis eorū nauigijs per illam
oram in Indiā nauigantibus perpetuo fiunt, & nisi in
illo littore firmū aliquod propugnaculū cōstituerint,
quo & Turcarū atrocina cohibeātur, & tutā sibi atq;
expeditam nauigationem parare possint, omnia quæ
illinc inuehūtur facile interitura: extinguendā à prin-
cipio esse flāmam ne illius ardore vniuersa Hispaniā
aliquando conflagret, cum facile malum nascēs resece-
tur, nec nisi cū labore quod inualuit amputari aut de-
leri possit. Quæ omnia relicto in nostra potestate filio
obside verissima confirmauit, vt Rex illo pignore cer-
tus de eius fide non dubitaret. Quare coacto consilio
eorum qui nomine prudentiæ insignes habebantur,
& expositis postulatis Muleamethis, quanuis omnes
Asrorum perfidiam satis exploratam haberent: in tā-
ta tamen Regni dissensione & imminētis Lusitaniæ pe-
riculo, arripendā esse illam occasionē statuit, cum præ-
sertim & Amethei fidē seruare filij pignore adstricto
expediret, & optimi Regis pietas & dilatandæ religio-
nis desiderium, quo ille præcipuè stimulabatur & nostri
milites vbiq; vincere assueti si vetera repetamus ma-
iora possint perficere. Itaque Rex maiori quadam
spe, quam animi excellentis altitudo afferre solet, &
incre-

incredibili aduersus Deum pietate inflamatus cum hoc bellum eam precipue ob causam susceperet ut omnes impietatis opes & monumenta conuelleret, contra hostes proficisci statuit, ratus nisi in aciem prodiret & dura Imperatoris munera subiret non aequae bene salutem publicam & Lusitani nominis existimationem defendi posse. Quid enim mihi opus est vita, saepe dicebat nisi hoc regium munus Christianae Reipublicae optima cum fide persoluam, aut quae ea morte felicius esse potest, cui haud dubius in coelum mirifica pietate & aeterno nomine patet adirus. Agitabat etiam animo plerosque nobiles neque adscriptos, neque vocatos priuato sumptu equis & armis instructos illius comotos exemplo ex Hispanijs libenter in hoc bello operam duros. Quare parata omni comitatu & armorum genere plenissima classe in altum proiectus secundo vento Arzillam Lusitanorum in Africa propugnaculum peruenit, expositisque in siccum militibus additis etiam nostris Maurorum equitum fere mille quos secum Amethes adduxerat, qui decem & octo prope diem equitum millia se expectare affirmabat ad expugnandum Alcazalquibirum ut bellum deinceps commodius duci & facilius confici atque expediri posset, tanta firmi subsidij spe incitatus progreditur. Verum transueto cum uniuerso exercitu flumine Lucco, equites quos Amethes pollicebatur ad hostes defecisse accipit,

sibi

sibiq; aut necessario cum Molucco pugnandum, aut si
citra flumen redire vellet vel ibidē diutius consistere
inter duos hostium exercitus necessario pereundum.
Quamobrē suos hortatus, vt Dei primo auxilio deīde
sua quisq; dextra cōsideret, & in medijs hostiū gladijs
salutem suam reponeret, signo dato cū in certamē def-
cendisset victoriæ spe inflāmatu & incredibili delen-
di hostes ardore incēsus, tāta cū animi contētione pug-
nauit, vt stratis hostium alis & legionibus eos ad duo
passiū millia incitato equo cū suis insequeretur. Sed
cū Moluccus noua & recētissima ala quinquaginta e-
quitū milliū nostris in suos irruētibus occurreret, Se-
bastianus Rex glande traiectus & equitū pertinaci mul-
titudine non tam victus quā obrutus, edita prius Mau-
rorum crudelissima strage, stratisq; nobilioribus alæ
equitib^o & Molucco interēpto gloria plenus in illa acer-
bissima ætate in ipso cursu victoriæ occubuit. O partē
orationis meæ luctuosam atq; funestam, ô seuum vul-
nus acceptū, quod ita meū dolorē auget vt cū aptā ora-
tionem ad grauissimam iustissimāq; tristitiam signifi-
candam reperire me posse diffidam, cogor in eas vo-
ces prorūpere. Quis det capiti meo aquam & oculis
meis fontē lacrymarum vt die ac nocte tua vulnera lu-
geā, & mea peccata deplorē? quomodo ceciderunt for-
tes, Aquilis velociore, leonibus fortiores. Si David fi-
lios

lios Israel Saulé sibi Deoq; infestissimū hosté sublatū è medio lamétabili cantico deplorandum iubet, crepto nobis nobilissimi regni optimo Rege, iustitiæ & æquitatis custode, nostrorum omnium acerrimo propugnatore, quis nō mœreat, quis nō doleat, quis non illū maximo luctu & cōploratione prosequatur? Hæc certe Vrbs, quā Christianæ Republicæ & totius Religionis firmissimam arcē Deus esse voluit, amorem, pietatem & obseruantia erga Sebastianum Regē insolita quadā tristitia mirifice declarauit. Nemo enim est qui in publico & priuato luctu ingentes doloris significationes nō dederit, nemo qui vultu atq; oculis, pleriq; mutata etiā veste ægritudinem animi nō ostēderit: alij ereptū Christianæ Republicæ aduersus Turcas & Mauros fortissimum defensorem conquerebantur: alij collapsum firmissimum propugnaculum quo Barbarorum audaces conatus reprimebantur miserabiliter lamentabatur: ipsa vrbs tota cuius antea colonijs magis quā alia prouincia frequentata Lusitania fuit, & in qua in hanc vsq; diem antiquæ dignitatis & militaris disciplinæ gloriā conspicitur, obruta squallore, ingenti dolore torquebatur. At si ex ea nobis egredi liceret quā mœsto animo videremus Henricum Regem & Cardinalem? cuius anima rege fratris nepote, quem æque ac seipsum amabat in Africam discedente in extremo
illo

illo complexu multis lachrymis & singultibus pœne
suppressa fuit; qui quinque; antea orbatus fratribus, hoc
est quinque; mortis acerbitates expertus, & iam caris-
simi Regis adolescentis morte consternatus, cum non
aetati parum & gloria plurimum vixisset, ne suis lachry-
mis deploraret eum, cuius ille ex vita pendeat, intem-
pestivam hanc mortem suo spiritu aut libentissime de-
pulisset, aut cum Rege suo efferri voluisset. Non videret
nobilissimam illam Lusitaniam opibus antea flo-
rentissimam semper inuictam, semper hostium Chri-
stianæ religionis expultricem, nunc crudeli quodam
funere elatam pœne ad perniciem proclivem: non ex-
tinctos eos duces per quos reperfusa sæpe & cruentata
maria, Barbarotum sanguine redundarunt, non expo-
situm multis periculis illud tam longe lateque; patens
imperium in quo Christianam religionem multo suo
sanguine collocarunt, non impendentes tantorum bel-
lorum tempestates atque; procellas, non crudelissimas
cædes, inauditos cruciatus, terribilissimas servitutes, exqui-
sita supplicia, omnia ex ista clade consequuta. Hæc mihi
cogitati P. B. divinum atque; immortale Dei optimi maxi-
mi beneficium esse videtur, qui hunc heroem in tam miseris
ac luctuosis temporibus singulari nobis opere reservaverit,
ut qui antea latissimum regni imperium, opes, arma, om-
niaque; regendi instrumenta administravit, & illustri apud

omnes

omnes sapiētiae & innocentiae opinione, non in Africa
modo, sed in India cuncta prope belli & pacis consilia
togatus & inermis foelicissime rexit. hic idē nobilissi-
mum illud regnum graui clade confictatum, & in ex-
tremum periculum adductum singulari curatione re-
staurare & suarum virtutum opibus subleuare possit.
Tu Sebastiane Rex cuius diuinam mentē hūcce tuis sa-
cris adesse firmissime credo quiq; funestas voluptates
contēnens mortem ipsam virtutis & tuēdā religionis
studio subiisti, atq; his gradibus ad supremam felicitā-
tē vt credimus euolasti, in illaq; sempiterna luce posi-
tus lumen in te clarissimum recipis: quam illustribus
testimonijs beneuolētiam erga tuos in terris declarasti
eādē nobis cōserua in coelis, & tuis p̄cib⁹ effice vt qui
pro aris, pro tēplis, pro sacris, pro religione, toties bel-
lo lacefsiti, toties iniuria p̄uocati cepimus, victores
ijdem esse possimus. Audire pollicētem ex cēlo mihi
videor Sebastianum prospera nobis omnia & secunda
euētura, si Deum pure atq; fauēte veneremur, si illius
doctrinam quam mortis exēplo comprobauit non ver-
bo tantum profiteamur, sed vitā etiam moribus expri-
manus, si deniq; innocentiae p̄sidio nitamur, sine

Res
4923
qua neq; munitissimae arces, neq; tutissimi por-
tus, neq; validissimi exercitus tueri

nos poterunt.

FINIS.



